



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. IV. Vtrum natura creata, subsistens in propria persona, & propriâ
personalitate retentâ, possit assumi ad subsistentiam divinam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

animatum, cui inhæret albedo, vel quod informatur ab anima: albedo autem nequit inhære Deo, nec Verbum ab anima informari.

Mitto plura alia argumenta quibus A diverſarii probare contendunt, nullam entitatem creatam poſſe exiſtere per exiſtentiam realiter ab illa diſtinctam, tum quia hæc ſpectant ad Philoſophiam, & à noſtris Thomiſtis in Metaphyſica clare diluuntur, tum etiam quia facile enervari ac infringi poſſunt exemplo humanitatis Chriſti, quam per divinam exiſtentiam exiſtere, diſputatione præcedenti oſtendimus, & docet frequentior, probabiliorque ſententia. Unde præſentem difficultatem ad id ſolum reſtringimus, an ſcilicet accidenti, ex aliqua peculiari ratione, repugnet divinæ exiſtentia exiſtere, ſicut ei repugnat, divinæ ſubſiſtentia terminari.

ARTICULUS IV.

Utrum natura creata, ſubſiſtens in propria perſona, & propria perſonalitate retentâ, poſſit aſſumi ad ſubſiſtentiam divinam?

88. **D**ixi naturam creatam, quia extra dubium eſt, perſonalitatem ipſam aſſumi non poſſe ad ſubſiſtendum per divinam ſubſiſtentiam: Tum quia ſubſiſtentia eſt ultimus terminus in linea & ratione ſubſiſtendi: Termino autem ultimo, ulterius terminatio eſſentialiter repugnat. Tum etiam, quia non ſtat perſonalitatem aſſumi, & non aſſumi perſonam ad ſubſiſtendum: Implicat autem perſonam aſſumi ad ſubſiſtendum, cum perſona ſit rationalis natura individua ſubſtantia, id eſt incommunicabilis, quod de incommunicabilitate alteri ut ſuppoſito accipiendum eſſe conſtat; cum perſona poſſit communicari naturæ, ut patet in perſona Verbi, quæ de facto fuit communicata & unita humanitati.

89. Addidimus in titulo, *propria perſonalitate retentâ*, quia etiam extra controverſiam, & omnino certum eſt, poſſe naturam conjunctam propriæ perſonalitati aſſumi, ſi per aſſumptionem ipſa perſonalitas expellatur ſeu deſtruatur: Non enim major poteſt eſſe repugnantia, quod natura propriæ perſonalitate illi conjunctâ privetur, quam quod ſine ulla producat, reſultantiâ ſubſiſtentia propriæ, per alienam impeditâ.

90. Solum ergo difficultas eſt, utrum natura creata, manens in propria perſona, aſſumi poſſit ad ſubſiſtentiam divinam, conſervatâ propriâ perſonalitate; ita tamen ut hæc non aſſumatur, ſed ſola natura quæ illâ terminatur; eo modo quo ſi eadem humanitas quæ nunc aſſumpta eſt à Verbo, conſervatâ hac unionem, aſſumeretur etiam à Patre; & ſicut natura divina, cum per æternam generationem communicatur Filio, in illo terminatur propriâ Filii perſonalitate, non admittendo perſonalitatem Patris.

91. Affirmativam partem docet Martinus Peres Tract. de Incarn. diſp. 9. ſect. 9. Hurtado in Metaph. diſp. 11. ſect. 7. & 3. part. diſp. 44. num. 1. Bernaldus diſp. 24. ſect. 2. pro ea ex antiquis citantes Baconum diſp. 5. quæſt. 1. & Naclantum Theorem. 2. circa finem, illamque non improbabilem cenſet Suarez diſp. 14. ſect. 1. dicens, Authores ita ſentientes vix poſſe ratione convinci. Cæterum, ſententiam negativam (quod ſcilicet

A non poſſit, etiam de potentia absoluta, natura creata, retinendo propriam perſonalitatem, uniri perſonæ divinæ, nec per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere) docent communiter Theologi, non ſolum recentiores, ſed etiam antiqui, quamvis in aliquando ratione hujus impoſſibilitatis non conveniant.

§. I.

Concluſio negativa ſtatuitur.

Dico igitur: natura creata, ſubſiſtens in propria perſona, propriâ perſonalitate retentâ, non poteſt, etiam de absoluta potentia, uniri perſonæ divinæ, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

Hanc concluſionem aliqui probant ex definitione perſonæ, de cujus conceptu eſt quod ſit alteri ſuppoſito incommunicabilis: Sed ſi natura creata, propriâ perſonalitate retentâ, aſſumeretur à ſuppoſito divino, illi communicaretur: Ergo implicat ita aſſumi.

Hæc tamen ratio non urget, poteſt enim facile reſponderi, non eſſe de ratione perſonæ, quod natura ex qua componitur, non communicetur alteri ſuppoſito, vel perſonæ, ſed ſolum quod perſona ipſa ex natura & perſonalitate compoſita, non poſſit illi communicari; nam Perſona Patris æterni convenit definitioni & ratio perſonæ, & tamen illius natura communicatur Filio: Perſona etiam conſtituta ex perſonalitate Verbi & humanitate aſſumpta, competit definitioni perſonæ, & tamen natura humana, perſonalitate Filii retentâ, poteſt Patri communicari, & per ejus ſubſiſtentiam ſubſiſtere: Hæc ergo ratio ſolum videtur probare, quod perſona creata non poſſit aſſumi à perſona divinæ; non autem quod natura propriâ ſubſiſtentia ſubſiſtens illâque retentâ, non poſſit ab illa aſſumi, de quo ſolum eſt quaſtio in præſenti. Unde

Suarez loco citato, alias reſert rationes, præſertim ex Cajetano, & eas impugnât, ac tandem iſtam conſtituit, quæ maxime illi placet. Propria ſubſiſtentia naturæ creatæ eſt modus quidam intrinſecus per ſe exiſtendi: Sed hic modus habet formalem & immediatam repugnantiam cum illo modo unionis quem habet natura aſſumpta in alio ſuppoſito, quia eſſe per ſe & in alio ſunt modi ita repugnantes, ut unus intrinſecè includat negationem alterius: Ergo implicat naturam creatam ſubſiſtentem in propria perſona, uniri perſonæ divinæ, & in illa ſubſiſtere.

Sed hæc ratio in multis deficit, primò quia duo ſupponit falſa, aut ſaltem incerta & dubia. Primum eſt, quod ſubſiſtentia naturæ creatæ ſit modus illius; illud enim, licet ſit probabile, non eſt tamen certum, nec à Theologis unanimiter recipitur; multi enim cum Cajetano exiſtimant, perſonalitatem creatam non eſſe modum naturæ, ſed entitatem realiter ab illa diſtinctam. Secundum eſt, naturam creatam non uniri perſonæ divinæ immediatè, ſed per aliquem nexum ſeu modum ab illis extremis diſtinctum; oppoſitum enim plures Theologi docent, nosque ſuprà diſp. 6. aliorum ſententiam ut probabiliorē ſecuti ſumus.

Secundò, ex eo quod perſonalitas propria ſit modus naturæ quam terminat, ſequitur tantum quod non poſſit terminare alienam naturam, ſed ſolum propriam, quia modus rei non poteſt modificare niſi rem illam cujus eſt modus proprius; non autem ſequitur, quod natura terminata per

per illum modum proprium, non possit terminari a persona divina, qua realiter identificatur cum divina natura.

Tertio, Negatio existendi in alio est effectus secundarius subsistentiae propriae, cum enim negatio sit, & subsistentia in aliquo positivo consistat, non potest esse effectus primarius illius: Sed effectus secundarius non est essentialis forma; nec ab illa inseparabilis, de potentia absoluta: Ergo talis negatio non convenit essentialiter subsistentiae propriae, quam natura creata subsistit connaturaliter, & consequenter poterit, illa retentâ, per alienam terminari. Missis ergo his rationibus.

Probatur primò conclusio ex 5. Synodo generali collat. 8. can. 5. ubi sic dicitur: *Si quis non confitetur Dei Verbum, carni secundum subsistentiam unum, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, anathema sit.* Ex quibus verbis hoc potest argumentum defumi: Concilium infert in Christo esse unam tantum personam, ex eo quod humanitas fuit assumpta ad subsistentiam Verbi: At hæc illatio non esset bona, si natura creata, propria personalitate retentâ, posset terminari per divinam, ut de se pater: Ergo hoc impossibile est.

Nec valet si dicas, rationes quibus Concilia utuntur ad definiendas veritates fidei, non esse fidei. Esto enim non sint de fide, sunt tamen magni ponderis & autoritatis: Ergo licet de fide non sit, implicare naturam creatam, propriâ personalitate retentâ, terminari per divinam, erit tamen veritas theologica omnino certa & indubitata.

Probatur secundo conclusio argumento à posteriori desumpto ex mysterio Incarnationis. Si natura humana terminata propriâ personalitate esset assumptibilis à Persona divina, Verbum de facto illam assumpsisset terminatam propriâ personalitate, non assumendo ipsam personalitatem: At secundum fidem Catholicam Verbum assumpsit naturam humanam sine propriâ personalitate: Ergo signum est non fuisse possibile humanitatem propriâ personalitate terminatam assumi à Persona divina. Minor est certa de fide, sequela autem Majoris probatur, tum quia si propria personalitas & subsistentia naturæ humanæ non impediatur unionem ejus hypostaticam cum Verbo, videtur fuisse convenientius perfectioni humanitatis Christi, quod non solum subsisteret per subsistentiam Verbi, sed etiam per propriam, si talis subsistentia sit composibilis in eadem natura cum subsistentia Verbi. Tum etiam quia non sunt multiplicanda, vel augenda miracula sine necessitate: majus verò esset miraculum auferre à natura humana propriam personalitatem, vel impedire ne propria subsistentia, quæ est passio ei connaturaliter debita, ab ipsa fluere, quam conservare propriam subsistentiam cum aliena. Quod potest aptissimo exemplo declarari & illustrari. Licet præsentia localis & sacramentalis sint duo modi naturaliter simul repugnantes eidem corpori, unde naturaliter fieri nequit quod idem corpus simul habeat duos illos modos essendi, tamen quia extensio ad locum est passio connaturaliter debita corpori, ideo communiter dicitur in materia de Eucharistia, fore majus miraculum, si corpus Christi acquirendo sacramentalem præsentiam, amitteret extensionem atque præsentiam localem quam habet in celo, quam quod retentâ illâ extensione

Tom. IV.

A locali acquirat præsentiam in speciebus sacramentalibus. Ergo similiter si absolute composibilis esset propria personalitas humanitatis cum aliena Verbi divini, majus miraculum esset dicendum, quod Verbum ex vi assumptionis naturæ humanæ impediret ne propria & connaturalis subsistentia ab ea resisteret, quam quod simul cum personalitate Verbi illa maneret, subindeque potius dicendum esset, illam remanere cum ista, quam quod illius resultantia impediretur, sicut in simili dicitur de ipsa præsentia locali Christi Domini.

Probatur tertio conclusio: Implicat quod natura creata existat simul & semel duplici existentia, quarum una sit creata, & altera increata: At si natura terminata per propriam personalitatem assumeretur à Deo, non destructâ tali personalitate, haberet duplicem existentiam, quarum una esset creata, & altera increata: Ergo &c. Major est certa, tum quia esse individuat à natura in qua recipitur: tum etiam, quia duæ existentia, præsertim si sint completae, non possunt inter se uniri per modum actus & potentia ad constituendum unum per se, ut ostenditur in Philosophia. Minor verò suadetur: Cuilibet subsistentia sua debet correspondere existentia, quia subsistentia est veluti ultima dispositio, qua natura redditur capax existentia; ac proinde duæ subsistentiae necessario secum trahunt duæ existentias: Sed in nostro casu natura assumpta duas haberet subsistentias, quarum una esset creata & connaturalis, altera increata & præternaturalis: Ergo & duas existentias, unam creatam & naturalem, alteram increatam & supernaturalem. Ceterum si natura humana terminata per subsistentiam Verbi, ulterius per personalitatem Patris vel Spiritus Sancti terminaretur, non haberet propterea tres existentias, quia subsistentia relativa divinarum personarum, non redderent naturam assumptam capacem diversæ existentia, sed unius tantum existentia increata & infinita, per quam existunt ipsæ divinae personæ.

Probatur quarto conclusio ratione desumptâ ex Capreolo in 3. dist. 1. quest. 1. art. 3. ad 1. Scoti contra secundam conclusionem. Quod dependet ab alio dependentia strictâ & causali, non potest à pluribus ut plures sunt dependere adæquate in nullo genere causæ, ut 2. physic. à nostris Thomistis ostenditur: Sed natura in existendo dependet à subsistentia dependentia strictâ & causali: Ergo non potest pluribus subsistentiis adæquate terminari, sed per propriam subsistentiam terminatur adæquate, ejusque dependentia in existendo, adæquate per illam expletur, & per consequens, propria subsistentia retentâ non potest, etiam de potentia absoluta, per alienam terminari. Quæ ratio non militat in divina natura, comparata cum tribus subsistentiis relativis, cum ab illis in existendo non pendeat, sed tantum ab ipsis accipiat incommunicabilitatem, ut in Tractatu de Trinitate ostendimus. Nec etiam probat, quod natura creata non possit simul terminari à tribus divinis personis, & in illis subsistere; quia personæ divinæ, ut terminantes naturam creatam, eique perfectam incommunicabilitatis tribuentes, non habent rationem causæ, sed puri termini, subindeque natura non dependet ab illis dependentia causali, sed solum terminativâ: quo genere dependentia stat unum & idem à pluribus dependere adæquate intensive cum in adæquatione extensiva, ut constat in relatione

Tet 2. latio

latione Patris ad plures filios terminata. **A** Denique suaderi potest conclusio alia ratione faciliori, quam Cipullus sic proponit. Implicat quod eadem natura creata simul sit in alieno supposito, & non sit in alieno supposito: At hoc sequeretur ex eo quod natura humana manens in propria persona esset assumpta à Persona divina: Ergo hoc implicat contradictionem. Major est certa, propter manifestam contradictionem quam dicit esse in alieno supposito, & non esse in alieno supposito. Minor etiam quoad primam partem patet, nam Persona divina est suppositum extraneum à qualibet natura creata. Quoad secundam verò probatur: Effectus formalis subsistentiæ propriæ, est reddere naturam subsistentem in se, & per se, & non in alieno supposito, ut docent Philosophi in Metaphysica, constatque ex ipsa nominis etymologia, nam apud Latinos subsistere in se, idem sonat ac sistere seu terminari in se, & non in alio: Hoc autem cum non dicat exclusionem à subiecto, quia qualibet natura substantialis completa, per se ipsam habet quod non sit in alio tanquam in subiecto, oportet quod dicat exclusionem seu negationem essendi in alio ut in supposito.

§. II.

Præcipue objectiones solvuntur.

100. **O**bjicies primò: Damascenus libro cur ad imaginem Dei sumus, hæc habet: *Dei Filius salutari Patri voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi unā cum humana voluntate qua natura est conjunxit, hominis autem hypostasim non conjunxit.* Et rationem reddit: *Ne natura humane voluntati que natura attribuitur, voluntate eā qua hypostasim attingit, à divine voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus.* Ex quibus verbis hoc potest desumi argumentum: Ideo juxta Damascenū, Verbum assumpsit naturam humanam, non autem hypostasim hominis, ne fieret assumptio cum qualifaret peccabilitas: Ergo supponit assumptionem hypostasis esse possibilem. Consequentia patet, nam si repugnaret, non ideo assumpta non fuisset hypostasis humana, ut peccabilitas vitaretur, sed quia impossibilis esset.

101. **R**espondeo primò, meritò dubitari posse an hæc translatio legitima sit, cum in testimonio adducto, Damascenus duplicè distinguat voluntatem, unam hypostasis, & aliam naturam, quæ distinctio fictitia est, & Theologiæ ac Philosophiæ repugnans; Philosophi enim & Theologi unam tantum in homine voluntatem agnoscunt, quæ naturæ ut quo, & supposito ut quod, in omnibus suis operationibus tribuitur.

Respondeo secundò: Cum Damascenus loco citato docet Verbum conjunxisse sibi naturam humanam & illius voluntatem, loqui de conjunctione physica per unionem ad divinam subsistentiam: cum autem subdit, non conjunxisse sibi hypostasim hominis, loquitur de conjunctione quam hæretici docebant, scilicet per solum affectum & specialem amorem; & hujus rationem reddit, *Ne voluntate hypostasis, natura humana à Dei voluntate discederet*: Hæc autem affectiva solum conjunctio quam hæretici astruebant, etsi de facto non detur, & à Conciliis contra Nestorium congregatis damnata sit, tamen possibilis fuit.

Tertiò responderi potest, admittendo Damascenum loqui de conjunctione physica hypostasis hominis ad divinam subsistentiam, & negandam consequentiam; potuit enim talem conjunctionem negare ob rationem assignatam, nempe ut peccabilitas vitaretur, non supponendo talem unionem fuisse possibilem, sed abstrahendo ab hac quaestione, an sit possibilis, vel non.

Objicies secundò: Eadem numero natura divina terminata personalitate Patris, rursus terminatur personalitate Filii, & Spiritus Sancti, ab eo quod una persona divina terminetur per aliam: Ergo similiter natura humana terminatur personā propriā, potuit terminari personalitatem Verbi, absque eo quod personalitas Verbi terminaret personam humanam.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam; licet enim natura divina possit simul terminari triplici subsistentiā, hoc tamen non potest contingere in natura creata, tum quia illud competit divinæ naturæ ratione suæ infinitatis, à qua deficit qualibet natura creata: Tum etiam, quia probando nostram conclusionem, plures assignavimus rationes disparitatis inter propriam personalitatem respectu naturæ creatæ, & personalitates divinas, tam comparatè ad naturam divinam, quam etiam comparatè ad creatam.

Objicies tertio: Natura humana terminata per alienam personalitatem, scilicet per subsistentiam Verbi, potest assumi à Patre & Spiritu Sancto: Nam ut disputatione præcedenti cum S. Thoma docuimus, omnes tres persone Trinitatis, poterunt eandem numero naturam assumere: Ergo terminata propriā personalitate, poterit assumi Verbo, non assumptā personalitate.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: Nam subsistentia propriā constituit naturam subsistentem per se in se, subsistentia verò aliena constituit illam subsistentem in alio: implicat autem contradictionem, quod eadem natura simul subsistat per se & in alio, non verò quod habeat plures modos subsistendi in alio; quia subsistere per se & in alio, sunt duo modi subsistendi inter se oppositi, & quorum unus, virtualiter saltē, includit negationem alterius: Plures verò modi essendi in alio, non habent inter se hanc repugnantiam & oppositionem, nec unus includit virtualiter negationem alterius. Potestque id declarari & illustrari exemplo accidentis, videmus enim quod omniatō implicet idem accidens simul esse per se & in alio, ceterum quod simul possit esse in pluribus subiectis, multi extra Scholam D. Thomæ concedunt, saltē de absoluta potentia. Duas alias rationes discriminis probatione 3. & 4. nostræ conclusionis insinuavimus, quæ ibidem videri poterunt.

ARTICULUS V.

An hæc propositio (Deus assumpsit hominem) in rigore & proprietate sermonis sit vera?

Ratio dubitandi est, quia modus ille loquendi passim invenitur apud Concilia & sanctos Patres, nam in Concilio Toletano 1. in Confessione dicitur, *Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumpsisse hominem*. Similia habentur in Toletano 6. cap. 1. in Toletano 11. in confess. fidei, & in Francofordensi in Epistola